



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118561**

§. 111. Jesuitarum conatus pro Societaie in Galliis stabienda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](#)

**Sæcul. XVI** na indicantur , quos inter ipsa etiam  
A.C. 1551. Erasmi opera enumerantur. Postea  
describuntur libri , quorum Auctores  
sunt incerti : nec minus libri Gallici,  
quorum Scriptores cogniti erant, ser-  
vato Ordine Alphabetico recensentur:  
demum vero Auctores incogniti refe-  
runtur.

### §. CXI.

#### *Fæsuarum conatus pro Societate in Gallis stabilienda.*

*Bouhours  
vie de S.  
Ignace l. 4.  
pag. 331.  
Orland. l. 10  
n. 107. &  
108.*

Hucusque S. Ignatii Societas semper  
magna , quibus fese in Francia sta-  
bilire præpediebatur , experta est obsta-  
cula:cum vero inter Socios nullus Par-  
isiis esset , qui illius Palatii in Cythare  
platea siti , quod eis Guilielmus de Pra-  
to Claromontanus Episcopus dono de-  
derat , eosque ibidem excepérat , po-  
fessionem adire , ac supremi Præpoli  
nomine annuos redditus ab eodem Pra-  
fule ad eorum sustentationem assigna-  
tos acceptare posset , hinc sanctus Igna-  
tius hunc obicem submoturus Joanni  
Baptistæ Violæ , qui ad Collegium Lon-  
gobardorum cum suis sociis antea ibi-  
dem agentibus habitatum venerat , per  
literas injunxit , ut in Episcopi Claro-  
montani manibus solemnia vota nuncu-  
paret , spe concepta , quod hoc pacto  
**Socii regias literas , quibus in Reg-**  
**num**

num reciperentur, eo facilius impetra- **Sæcul. XVI.**  
re possent. Igitur Episcopus excipien- **A.C. 1551.**  
**dæ Professionis negotium Abbati S. Ge-**  
**novefæ committit, sanctusque Ignatius**  
**Lotharingii Cardinalis, quem jam**  
**olim Romæ noverat, patrocinium im-**  
**pense implorat, ut Regis etiam con-**  
**fensum obtainere posset. Valuit succe-**  
**sus; quippe Cardinalis juncta cum ami-**  
**cis suis opera Societati obsequium præ-**  
**stare certabat, atque una omnes deni-**  
**que obtinuere literas, quæ ad Societa-**  
**tem in Regnum recipiendam erant ne-**  
**cessariæ.**

Verum Senatus hasce literas ad **acta**  
referre renuebat, ac per integros duos  
annos immotus in hac sua oppositione  
persistebat, insuperhabito etiam itera-  
to mandato, quo Regis literas publi-  
cis tabulis inserere jubebatur; nam Se-  
natus eas, quæ sequuntur, cauſſas ob-  
tendebat: I. jam satis copiosus in Galliis  
est religiosorum numerus, II. aliunde  
Jesuitæ ab Ordinariorum jurisdic-  
tione, & decimarum solutione eximi pe-  
tunt, III. de cetero, si in Moream con-  
tendere quærunt, haud necessarium ip-  
sis est publicum Regis diploma: IV.  
priusquam hac in re ulterius procedi-  
tur, necessitas suadet, ut Bullæ, quas  
a summis Pontificibus obtinuerunt, Pa-  
risiensi Episcopo, ac Universitati exhibi-

O 4      bean-

**Sæcul. XVI.** beantur, eorumque sententia desuper  
A.C. 1551. excipiatur. (\*) Eo tempore Episcopus  
 Parisiensi Ecclesiæ præerat Eustachius  
 Bellajus, qui Jesuitis minus favebat,  
 atque ipsamet etiam Universitas hanc  
 magis benigno eos obtutu dignabatur,  
 quinimo contra illos edictum quoque  
 promulgabat, quo vix publici juris fa-  
 cto tota urbs in hosce Patres insurge-  
 bat. Hujus editi exemplar Paschalis  
 Bröettus unus ex decem primis D. Ig-  
 natii sociis recepit, illudque protinus  
 Romam transmisit. Verum hæc tem-  
 pestas parum turbabat Societatis Prä-  
 positum, qui hasce turbas brevi sedi-  
 tum iri sperabat.

## §. CXII.

*Catechumenorum domus in India At-*  
*torie B. Ignatio exstruxæ.*

*Orland l.c.* Insuper felix Nuntius ex Indiis hoc an-  
 n. 119. &  
 120. no receptus longe majori solatio, quam  
 Gallica res D. Ignatii animum reple-  
 bat.

---

(\*) De hisce obtentibus Orlandinus, quem  
 Continuator allegat, altum tenet silentium,  
 itaque ad illos excogitandos Continuatores  
 nil aliud impulisse, coniici potest, nisi ut con-  
 fecto documento comprobet, quod jam saeculo  
 XVI. contra Religiosorum domicilia ejusmodi  
 obtentus fuerint propositi.